

rejicique, nisi cum veritatis ipsius dispendio, sicut qui accuratam gregis custodiam e medio tollit, gregem ipsum perdat necessum est. Eos vero, qui contra dogmatum curam ingenti hodie numero insurgunt, caractere Antidogmaticorum interim designare liceat, dum commodiori vocabulo caremus. In sacris enim præsertim literis, dogmatis vox in malam olim significationem non raro fuit tractata, atque opinionem hominum præjudiciis nitentem designat, v. gr. *Col. II, 14. 20.* Quare præ ceteris monemus, dogma nobis h. l. alio sensu accipi, ipsamque veritatem salutarem, quæ thesibus comprehensam, indicare.

II. Coniungimus hic Naturalistas cum Fanaticis, ne repetenda eadem nobis sæpiter sint, cum iisdem hac in re hypothefibus ac præjudiciis utantur; quorum illud princeps est, omne studium *αρεσείας* Theologicae, velut a sectario spiritu ortum, fugiendum esse. Huic illam opponimus Prænotationem: *studium accuratationis theologicæ recte tractatum perutile, imo ad servandam inter nos veritatem necessarium, esse; unde facile colligas, tantum abesse ut evitandum sit, ut potius a docentibus omni contentione quæri atque excoli debeat.* Fanaticorum & Naturalistarum in priorem sententiam voces adeo pervulgatae sunt & frequentes, ut iis citandis chartam consumere non libeat. Videantur inter alia,

que